



ΣΥΝΘΕΣΙΣ

Ex

DEUTERONOMIO

Disputatio V:

- I. De præcipuis beneficijs divinitus in exitu ex Ægypto collatis in Israelitas.
- II. De maximis peccatis, quibus DEUM educentem Israelitæ irritarunt.

Ad cujus Themata

In Illustri Academia Vitebergensi

PRÆSIDE

VVOLFANGO FRANZIO

S.S.Theol.D.& Prof. publ. Præposito itidem templi arcis

Respondebit

M. IOANNES RINGENHAIN
Torgensis.

Die 6. Februarij in templo arcis Electoralis horis pomerid.

WITTEBERGÆ

Typis Cratonianis, per Ioh. Gorman.

M. DC. VIII.



MAGNIFICO,
Clarissimis, Excellentissimis, Specta-
tissimisq; Viris:

D. TOBIÆ TANDLERO,
Academiae VVitebergensis pro tempore
Rectori, Philosophiæ etiam & Medi-
cinæ Doct. ejusdemq; Profes-
sori celeberrimo:

D. ERASMO UNRUH
J. U. D. & Profefs: Publ:

D. BALTHASARO LEICHERO
Illustris: Electori ac Principi Sax: &c.
à redivibus meritis:

Dominis Patronis, Mecænatibus, Superioribus ac Affi-
nibus suis magnoperè colendis

Themata hæc Theologica

D. D. D.

M. Ioannes Ringenhain
Respondens.





Σὺν Θεῷ.

THE S I S P R I M A.



UANTAM VERITA-

tis fidei, & sanctitatis morum labem pariant commercia familiaria & diuturniorra cum infidelibus & improbis, *Proverb: 13, 20.* vel unico Israëlitarum exemplo edocebimur, quibus tot annorum in Ægypto inter Ægyptios idololatrias facta cohabitatio, tandemq; cum Chananæis toleratis quotidiana conversatio tantum nocuit, ut & mox in deserto, & in terra ipsa benedicta in idololatriam quam sapissimè maximo numero relaberentur, sicque *πληροτέρας* seu difficilimè correctionem admittens populus reverà evaderent.

Consortia prava etiam pientissimos inquinare solent.

II.

Primò enim cum referente Bodino *lib. 2. Demonomania cap. 3.* Ægyptij bovem, propter summas quas præstat utilitates, & quod absque dubio tali figura dæmon illis comparuerat & responderat, tanquam DEUM coluissent, eodem schemate DEUM ipsis sese, sed longè aliter manifestantem, & ex Ægyptiaca servitute liberantem publicè figurare voluerunt Israëlita, nimirum hac superstitionis diu conspectæ in Ægypto scabie infecti *Exod. 32.*

Cur vitulum in deserto crexerint Israëlita, & non aliam formam.

III.

Deinde ex illis ipsis doctoribus, sine dubio hauserant impietatem aliam, magis forsan ut apparet *privatim*, quàm publicè



publicè frequentatam, cum nimirum in deserto, idola & imagines Planetarum, aliasque circumtulereunt iisque servierunt, ut à rebus noxijs per ista idola defenderentur.

IV.

De hac idololatria ita apud *Amos 5. 25. 26.* dicitur: An Sacrificia & oblationem obtulistis mihi in deserto quadraginta annis, domus Israel? & portastis idolum regis vestri, & placentam imaginum vestrarum, Sidus D E I vestri quod fecistis vobis. Quæ eadem repetuntur *Act. 7, 43.*

V.

Neque nos miremur hoc ab illo populo D E I tum factum. Nam ex veteri consuetudine & familiaritate cum Ethnicis, *inter medios Christianos* in lucem Evangelicam in hunc usque diem venerunt, & adhuc hærent, D E U S bone, quot & quanta superstitiones, certis verbis & signis consecrandi arma ne noceant, pelliciendi alios ad amorem, suspendendi litteras, vel varia amuleta de collo adversus morbos hominum & pecorum, prædicendi futura ex garritu & volatu avium temerario, consulendi crystallum, magos & pytho-nissas: ita ut paucæ super sint communiones, quarum si non multos, tamen vel unum aliquem hominem, aut hæc aut similis aliqua superstitio non inceserit. Legatur autem B. Lutherus in declamatione super præceptum primum mox ab initio Tomi primi Lat: *VV*it: ubi multas species harum ineptiarum & impietatum adhuc inter plurimos vigentium recenset.

VI.

Tam indefessa fuit, & erit singulis seculis Cæcodæmonis astutia & diligentia, ne desint quovis tempore, quorum impijs superstitionibus verus D E I cultus contaminetur, furor iræ divinæ exasperetur, & privatæ publicæque pœnæ accersantur.

Porro

Etiã alia privata idola in deserto habuerunt Israelitæ.

Multa idolatrica residua in hunc diem inter Christianos.

Lutherus.

VII.

Porro sicut semper in Ægypto & in deserto idolis gentium fuerunt addictiores (non ex fatali aliqua dispositione, sed ex causa indicata in Thesi prima) ita quoque postea ad stuporem usque tum sapientius & numerosius, tum levius faciliusque eorundem Ethnicorum religioni profanæ contra DEI expressas & graves prohibitiones faverunt.

VIII.

In testimonium vocamus totam sacram Scripturam, & imprimis Prophetas majores & minores, qui in hoc delicto Iraëliitarum exaggerando, arguendo & damnando aliquando sunt toti, vehementissimi & creberrimi. Loca examinentur hæc, quæ annotata cernuntur *Iud. 6. & 8. & 17. 1. Reg. 11. & 12. & 14. & 15. 2. Reg. 1. & 17. & 18. & 23. Esa. 2. & 44. & 57. Jerem. 2. & 7. & 19. & 43. & 44. Ezech. 8. & 23. Os. 1. & 2. & 8. & 10. & 13. Amos 2. 8. Abac. 2. Sophon. 1. 5.*

IX.

Ut autem in futurum ab hac *σκληροκαρδία* populum suum abstraheret Dominus, etiam in Deuteronomio toties, toties mandatorum suorum de uno & solo vero Deo audiendo & colendo observantiam præcipit, transgressoribus pœnam expeditam minatur, dicitat, denuntiat, imprimis etiam specialia intermiscet argumenta, obedientiam Deo debitam suadentia, *capitibus 8. 9. 10. 11.*

I. Quod in difficilimo & periculoso itinere per desertum multis beneficijs non ab idolis ullis, sed à solo vero DEO sese tam miraculosè manifestante fuerint cumulati, & mirabiliter ad optimam terram promissam occupandam, conservati & adducti.

II. Quod sapientius gravissimeque peccantibus, tamen veniam dederit. *III. Quin* etiam nova gratiæ magnæ monumenta contulerit. *IV. Et denique* in terra Canaan obedientibus oculariter benefacturus: sed contumaces oculariter ever-
surus sit.

Non ex fato, sed ex veneno pravi sodalitijs semper addictiores idolatriæ, fuerunt Iraëlitæ, sicut hodie ex veneficis veneficia, ex superstitiosis superstitiosa alia multi discunt.

Scopus capitum Deut. 8. 9. 10. 11.

Septus decet
concionatores ta-
xare superstitio-
nes etiam ridicu-
las, ne inde ad
maiores propen-
dere discat
plebs.

Cur Ægyptij pu-
niti fuerint par-
vis bestiis.
R. Ut discerent,
se eas malè pro
Diis coluisse.

X.

Eandem methodum sequi crebrius par est concionatores Christianos omnes, nec connivere licet superstitionibus ullis, quantumvis leviculis & ridiculis sæpè visis, utpotè quibus conatum in alijs majoribus confirmari experientia testatur, sed eorundem peccatorum pœnas exponere decet aliquas, quas vel quotidie inter plerasque familias conspiciamus.

XI.

Sicut enim mæchantem uxorem acerrimè ad mortem usque prosequitur honestus maritus, ita spiritualia adulteria, hoc est, manifestas vel clandestinas, magnas vel parvas, serias vel jocosas cum Diabolis collusiones ferre nequit DOMINUS. *Ezech. 23.*

XII.

Nam inter alia Ægyptij propter illam idololatriam, qua bestias coluerant; bestijs, ranis, muscis, locustis, & *ꝫꝰꝰ* mixturis infectarum diversi generis, serpentibus & scorpionibus puniti fuerunt, ut non dubitare habeamus, analogicis ejusmodi pœnis, analogicas nostras idololatrias plecti: *Exod. 8. & seqq. Sap. 11. & 12. & 16.*

XIII.

Ad beneficia divinitus populo Iudaico collata pertinet, quod *Deut. 4. 34.* dicitur Deus venisse ad capiendos sibi Israëlitas è medio Ægyptiorum, cum tentationibus, cum signis, cum portentis, cum bello, cum manu valida, cum brachio extento, cum terroribus magnis, quæ tamen tunc temporis necromantica audire non debuerunt vel potuerunt, propter rationes, de quibus in prima disputatione.

XIV.

Et absque dubio, quemadmodum *Iohan. 21. 25.* multa signa fecit CHRISTUS, quæ non sunt scripta sigillatim, ita non

ita non omnia postremis quatuor voluminibus continen-
tur, quæ ante, in, & post egressum ex Ægypto contigerunt
stupenda.

XV.

Rejicimus autem primò in finem *capitis 33*, quæ divina
evenerunt, in Moyſis liberatione ex aquis, educationeque,
& vocatione, ut in rubo dumosa & spinosa accensa, & ab i-
gne nutrita, baculo abeunte in colubrum, manu leprosa in-
ſtar nivis facta: deinde mittimus etiam omnes ad ſacrum tex-
tum de decem plagis Ægypti, & ad *cap. 18. Sap.*

XVI.

Quod tertio loco ſequitur, transitus per mare rubrum
vel plurium miraculorum inſtar erit, penitiùs expendentibus
Exod. 14.

XVII.

Scinduntur enim vel dividuntur aquæ, *Exod. 14. 21.*
Sed quid mirabilius, quàm ſi in duas abiret partes, & in duos
evaderet monticulos, ſponte aqua vaſi incluſa, relicto ſpa-
cio intermedio, pro beſtiolis ibi repere incipientibus, de quo
Origenes Hom: 5. in Exod: Mira DEI potentia cogitur
fluctus in cumulum, & unda in ſemetipſam reſpreſſa curva-
tur.

XVIII.

Præterea in fundo non remanſit lutum, ſicut alias fit in
fluvijſ, multò magis in mari, voraginibus profundis pleno:
ſed pavimentum coagulatur, & à vento mox obduratur, in
uſum diſcumbentium & dormientium per aliquot dies. Un-
de iterum *Origenes*; Solum maris creſcit in pulverem, ut ſic-
ca planta populus Dei tranſiret. Quod beneficium celebra-
tur *Exod. 14. 21. 22. 29.*; Poſuit mare in ſiccum, & ingreſſi
ſunt filij Iſrael per aridam. Item *Habacuc 3. 15*, viam feciſti
in mari, in luto multarum aquarum.

Neque

*Primum genus
miraculorum in
Ægypto editorum.*

*Secundum genus
miraculorum in
Ægypto edito-
rum.*

*Tertium genus
miraculorum in
Ægypto in exitu
editorum.*

Scinduntur aquæ

*In fundo maris
non eſt lutum.*

In multas vias
putatur scissum
esse mare.

Murus aquarum
à dextra & à si-
nistra.

Scribitur aqua
maris solida fu-
isse facta.

Scribitur clara
& dulcis facta
fuisse aqua.

Quamdiu in
mari rubro pere-
grinati sint Is-
raelitæ.

XIX.

Neque hoc solum : sed etiam secundum quosdam, in multas vias dispelcuit **DOMINUS** mare, qui citant *Psalmum 136. 13: qui divisit mare Suph in divisiones*. Super quæ verba *Origenes hæc sequentia tradit, in homil. 5. in Exod: Audi à majoribus traditum, quòd in ista digressionem maris, singulis quibusq; tribubus filiorum Israël, singula aquarum divisiones factæ sint, & propria unicuiq; tribui in mari aperta sit via: id, quòd ostenditur ex eo, quòd in Psalmis scriptum est, Qui divisit mare rubrum in divisiones: per quod multæ divisiones docentur factæ, non una.* Sed & per hoc quod dicitur: *Ibi Benjamin junior in stupore, Principes Iuda, duces eorum: Principes Zabulon, & Principes Naphthalim, nihilominus unicuiq; tribui proprius enumerari videtur ingressus. Hæc à majoribus observata, in Scripturis divinis religiosum credidi non tacere.* Hactenus *Origenes*. Interim nihilominus manet quoddam insigne dextrum & sinistrum tanquam extremitates quædam insigniores, *Exod. 14. 22.*

XX.

Addit *Origenes*, quòd soliditatē receperit liquor, seu quòd coagulatus fuerit *Exod. 15. 8.* & ut volunt alij, in modum lapidum subalternatim positorum, & quòd tam claræ extiterint in modum vitri, ut alter alterum transeuntem videre potuerit, quodq; inde aquæ dulces ad usum potus emanarint, & quòd illud, quod emanavit, post bibitionem iterum coagulatum fuerit, ne via lutosa redderetur.

XXI.

Refert *Chytrens* ex *Ptolomæi* & aliorum descriptionibus, in loco transitus Iudæorum supra *Arfinoen* portum, quem hodie *Suezziam* *Ægypti* nominare dicuntur, mare mortuum, ferè quindecim milliaria germanica patuisse, idè quæ tres aut quatuor dies, in transitu maris rubri *Israëlitas* consumfisse.

consumsisse. Brachio igitur extento tam diu sustinuit aquas maris DOMINUS, ut ipsi ambulare, quandoque victum & potum parare, quandoque discumbere potuerint, *Exod. 14. 22.*

XXII.

Postea non solum in mari perierunt Ægyptij, verum etiam ad littus alterum in quo adversabantur Israëlitis, ejeti, fiebant ludibrium & spoliū populi DEI, ut Iosephus annotavit ex *Exod. 14. 30.*

Ægyptij ejiciuntur ad latus maris, ubi erant Israelitæ.

XXIII.

Mox autem vidisses stupendam & divinitus immissam vertiginem, quando obliti cladium omnium à quibus fuerant immunes semper Iudæi, graviter verò perculsi ipsi Ægyptij, per mare ingredi, adeoque inter aquas supra & contra naturam Israëlitas prosequi & persequi audent. Perinde ac si intra fornacem ardentem Babylonicam Nabucdonosor se conferre voluisset, *Dan. 3.* Et connivet Dominus, donec omnes, quasi intra muscipulam compactos, confundat, *Exod. 14. 23.*

Stupenda audacia Ægyptiorum.

XXIV.

Tunc enim cum omnes ad medium maris pervenissent, miraculoso verbo & virtute Domini rotæ à curribus abstrahuntur, atq; infellores præcipitantur, curribus, equis & rotis implicitis affliguntur & conculcantur, *Exod. 14. 25.*

Rotæ abstrahuntur divinitus Ægyptijs, unde tumultus & ruine, curruum, equorum, hominum.

XXV.

Quæ etiam hæcenus præverat, columna nubis & ignis, mota nimirum ab Angelo, viam Iudæis ostendens, protegensque & illuminans totum exercitum *Exod. 13. 21. 22.* illa nunc ab anteriore parte sese ad postremum contulit agmen, totumque consequitur, medium sese statuens inter filios Israël & inter Ægyptios, ita tamen, ut ea pars, qua spectabat Ægyptios, tota tenebrosa, qua verò Israëlitas, tota & interdium & noctu lucida esset, unde factum ut neuter exercitus alterum adoriretur *Exod. 14. 19. 20.*

Nulla nox ex parte Israelitarum in transitu per mare rubrum

B

Maximū

XXVI.

Nullus enatavit
Ægyptiorum sal-
vus inter tot
currus &c.

Maximum itidem divinæ virtutis documentum, quòd nec equis nec curribus salvi enatare potuerint ulli, ut alioquin in multis naufragijs & pugnis navalibus contigisse notum est; *Act. 27.* Sed sicut lapis vel plumbum descendunt in profundum, ita ut ne unus superesset, qui in Ægyptum rediret, nuncius tantæ cladis. *Exod. 15. 7. & 10.*

XXVII.

Pene talionis
& conniventia
pulcherrimum
exemplum.

Itaque in obstinata & indurata malitia & impietate sua isti DEI & Ecclesiæ veræ hostes, in æternum perierunt, nimirum qui laboribus luti & laterum oppresserant credulos, qui ipsorum infantes masculos in fluvium demergere præceperant, illi nunc iterum in cæno, luto & fluvio pereunt: Quique in Regis crudelitatem consenserant aulici & subditi, illi etiam unâ cum suo tyranno & duce in abyssu maris rubri enecantur. *Exod. 1. 9. 11. 22. & 14. 5.*

XXVIII.

Stupenda Ama-
lekitarum mali-
tia, quod interi-
tu vicinorum
non commoven-
tur.

Etsi autem tanti Regni tantus casus mox fuit divulgatus in omnes nationes, non tamen Amalekitas vicinos commovit, quia Amalekitæ, non longè post hoc stupendissimum miraculum, tamen Israëlitas aggredi ausi & delere conati fuerunt: *Exod. 17.*

XXIX.

Sed ad alia beneficia miraculosè in deserto Iudæis divinitus collata descendimus, quæ fuerunt I. Manna calitùs data. II. Aqua prodigiosè ex petris profluens. III. Vestimenta non inveterata. IV. Pedes ex longa peregrinatione non tumefacti. V. Securitas adversus scorpiones & serpentes in defectu medicamentorum.

XXX.

Manna dicitur à Mahu aut euphoniæ gratia injecta littera

littera Nun Man hu, quasi dicas, quid hoc, scilicet est, siquidem quisque ad proximum suum videns rorem veluti condensatum in magna copia ita loquebatur *Exod. 16. 15.* vel à מנה, quod significat donare; quod cibum à Domino donatum, aliter appellare non decuisset.

XXXI.

Ergo panis vel cibi generis optimum fuit illud, quod in modum roris sparsum reperiebatur in superficie terræ undique per circuitum castrorum, secundum 70 interpretes exiguum; tanquam semen coriandri; sed condensatum sicut glacies vel pruina super terram, saporemque suavissimum veluti pistæ mellis habebat.

XXXII.

Mirum autem, quòd cum non omnium gula similis sit vel æqualis, adeoque alius alio plus comedat; tamen ibi singuli singulis gomor cibabantur, per unumquemque diem, ita ut saturarentur, uno gomor voraciores, nihil superesse ex illo relinquerent ij, qui minus sunt voraces & avidi, *Exod. 16. 18.*

XXXIII.

Psalmo 78. & Sapient. 16. dicitur Angelorum esca, versu 20. & 21. ad cuiuscunque assumentis voluntatem se se temperans, hoc est, qui sinebat se transformari, coqui, affari.

XXXIV.

Voluit autem ideò tropicè vocari vel præstantissimarum creaturarum cibum, quarum una sufficit percutiendo exercitui centum milliū militum, ut (*vers. 26.*) scirent Filij DEI quoniam non nascentes fructus pascunt homines: sed sermo tuus, hoc est, quòd plures habeat modos procurandi panem, vel meliorem, quàm ex creatione segetum in agris Dominus,

B 2

Simul

*Quartum genus
miraculorum in
exitu.*

i. Manna

*Uno gomor quo-
modo singuli
satiati.*

*Manna cur panis
Angelorum*

XXXV.

Caro Christi est
vivifica.

Simul fuit iste typus veri panis vitæ, qui de cælo descendit *Iohan. 6. 48: Ego sum panis ille vitæ, Patres vestri comederunt manna in Ægypto, & mortui sunt: Hic est panis ille, qui è cælo descendit, ut qui eo vescatur, non moriatur. Ego sum panis vivificus, qui è cælo descendit, si qui edent ex hoc pane, vivent in æternum; Panis autem quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro Mundi vitæ.*

XXXVI.

Longè alia est manna, de qua Physici agunt, similis oryza, quam *Schwaden* vocant, de qua in Meteorologicis libellis multi multa tractant. Statuas autem unum modium *VVitebergensem* compleri potuisse per gomor 400, ita ut uniusdecimæ sextæ parti modij dicti, *einer Mezen* cesserint 35 gomor, utique saltem pro viris, 600000. quotidie 1500 modij *VVitebergenses* requirebantur: & si forsan triplicatus fuit numerus vix quotidie suffecerunt 4500 modij *VVitebergenses* pro 600000 viris, cum longè major fuerit exercitus, de qua re in prima disputatione.

XXXVII.

Census Augusti.

Sed ut amplius capiamus exemplum, *Suidas de Augusto Cesare* scribit, quòd cum ei visum esset numerare omnes *Romani Imperij* incolas, ut sciret, quanta esset ejus amplitudo, repererit *CCCCX M. Myriades & 13 viros*, hoc est 4100000000, quorum unicuique in unum diem, qui unum nummum conferre debet, illum in singulos dies 162 tonnas auri habere decebit.

XXXIIX.

Sed sicut *per fidem*, intelligimus, constructum fuisse mundum verbo *DEI*, ita ut sint ex non apparentibus facta, quæ cernimus, *Heb. 11, 2: Ita per fidem* etiam credimus, & prædicamus hoc conservationis miraculosissimum miraculum,

lum, 1. ubi manus Domini nunquam abbreviatur, sicut Principum fisci tandem sæpè ita minuuntur, ut multi ministri sint dimittendi, 2. ubi Domini memoria quotidie singulas creaturas ubique sibi præsentissimas habet, & nullius obliviscitur, quod ne per artificialissimam memoriam præstare in subditis alicujus magni numeri posset Monarcha quispiam.

XXXIX.

Illam igitur supputationem *non instituimus*, quasi ex ratione nostra sustentationem rerum creaturarum æstimandam censeamus, sed ad gloriam DE dilatandam, qui uni populo quotidie tantum largitur.

XL.

Quam esset incomprehensibilis & ineffabilis futurus numerus, si omnium aliarum terrarum populi, & non tantum populi, sed etiam animalia sub eam piam considerationem vocari possent, quod nobis est *ἀδύνατον*. *Psalm. 104. 24. 27.*

XLI.

De potu subministrato in deserto notum imprimis sit illud, quod ex petris solidissimis tenuiter percussis profluxerint aquæ. 1. limpidissimæ, hominibus & jumentis admodum salubres: 2. adeò copiosæ, ut tanquam novi repente enati, satisque ampli fluvij castra Israëlitarum sequerentur.

Potus in deserto.

Fluenta ex petris.

XLII.

Et hoc esse dicunt illud, quod in *Psalmo 78. 15* habetur: *Rupit petras in deserto, & potum dedit eis è voraginibus magnis & eduxit fluentia de petra, & descendere fecit, tanquam flumina aquas.* Vide etiam *Esai: 43. 30:* Eterant illæ aquæ typus abundantissimæ gratiæ divinæ, quæ à CHRISTO nobis confertur.

XLIII.

Vtrumque conjungitur 1. *Corinth. 10. 4:* *Omnes eundem*

B 3

potum

Fluenta ex pe-
tra sequuntur
Israelitas.

Origo fontium
& fluminum
secundum sacram
scripturam.

Vestimenta in de-
serto non attrita.

potum spiritualem biberunt, Biberunt autem ex spirituali SE-
QUENTE petra, petra verò erat CHRISTVS.

XLIV.

Apud Herodotum de expeditione Xerxis in Græciam aliquoties ingens exercitus ille 500 Myriades virorum complexus mediocria aliquot flumina epotasse scribitur. Et si verò sine dubio hyperbolicum illud est; tamen interim discant aestimare omnes. quod ad tantam multitudinem hominum & pecorum maxima copia potus in deserto, & astu imprimis opus fuerit.

XLV.

Sicut autem inter castra Israëliitarum ex rupibus siccissimis largissimi fluvij divinitus mittuntur; ita quoq; Deus ex Oceano, mari, lacubus &c: per venas terræ quasi percibrat saluberrimos & limpidissimos fontes, rivos, fluvios, eolq; dirigit quò & quando & quamdiu & unde vult ipse.

XLVI.

Unde Ecclesiastes capite 1. 7. Omnia flumina pergunt ad mare, & mare non impletur, ad mare unde pergunt flumina illic revertuntur, ut redeant.

XLVII.

Non leve in vestimentis etiam attingitur miraculum, quod toto peregrinationis tempore non inveterata fuerunt, cum alioquin peregrinantium vestimenta facilius & celerius atterantur. *Lyra* addit cum puerorum statura crevisse vestium longitudinem, cuius fides esto penes autorem.

XLVIII.

Docere igitur voluit Deus, non tantum nobis creaturas dari: sed etiam creaturarum, olerum, animalium, vestium, domorum extructarum, potuum, ciborum, medicamentorum, bonitatem durabilem contingere à solo Deo. *Nisi enim iste hoc præstet, citius omnia corrumpentur optimis exhalantibus, & σκυσάλωρ* sordibus relictis. Quapropter pro hac bonitate perdurabili orandus est Deus, & sic linea vestis superabit diurnitate pelliceam: sic domus lutea lateritiam. P ræ

XLIX.

Præterea magnum fuit beneficium, quòd toto peregrinationis tempore nullorum, nec etiam pauperum & sine dubio absq; calceis incedentium pedes intumuerunt: Significatur valetudinem prosperam & humorum crasin consistentiamq; exoptabilem in illis, qui in laboribus totos dies, & in peregrinationibus totos annos commorantur, quandoque præter causas secundas, inprimis à solo Deo dependere, ab eoq; petendam esse. Vnde quandoque magis vegeta omnia in pauperrimis servis, quàm in delicatissimis Principibus conspiciamus, aut in ijs, qui ad præscriptum medicorum vivunt.

Pedes non intumuerunt in deserto.

Nihil nocet venenum, si tibi fuerit Deus.

L.

Solus igitur Deus etiam sine remedijs fluxus humorum sistere, & eos ad justam Harmoniam redigere, & ita temperando curare singulariter potest.

LI.

Vice versa, quando Deus singulares morbos vult immittere, tum humores pro lubitu in hoc aut illud membrum, vel agit ipse, vel Angelis agitando committit, vt malum, vel mitius, vel sauius hoc alio vè morbo grassetur, celeriusq; vel tardius alia aliaque morte perimat, adeoque sæpè numero medicorum omnem industriam & remediorum virtutem atque efficaciam eludat. Cui rei vel pestis testimonium perhibet certissimum. *Vide etiam Lutherum tomo 12. UU. G. fol. 211. in tribus questionibus ad Wenceslaum Linckium. Item Act. 10. 38, & Luc. 13. 11. 16. Psal. 107. 17. 20. Sap. 16. 9. 10. 11. 12.*

Deus singulariter gubernat morborum cura & nihil proderit medicatio, si non fuerit Deus

LII.

Præterea sicut olim fauces draconum comprimebat Dominus, ne Danielem discerperent, ita dentes draconum, & serpentum cohibuit ut plurimum, ne in desertis aridis & incultis, ubi frequentius reperiuntur, nocere possent.

Providentia divina in cohibendis virulentis bestiis,

Nunquam

LIII.

Nunquam igitur casu : sed semper ex providentiæ divinæ dispensatione alter insectorū, & aliorum experitur virulentiam : alter verò tutus & immunis abit. Sæpè etiam parvæ bestię suo morsu lethalia efficiunt vulnera, sæpè plus nocet musca ex cadaveribus advolans, sæpè mus improbum virum mordet, sæpè reperti sunt, qui ἔϊφρον γαφικῆς perierunt, quibus magnæ hastæ nihil nocebant. In Exodo aliquot exempla prostant, cum nocent bestię Ægyptijs, non nocent Israëlitis.

LIV.

Magnificum item, vereq; divinum beneficium est, quòd expulsis Chananæis tot annorum abusus patientia divina, neque ad pœnitentiam redire satagentibus ipsi, substituuntur, non propter probitatem & justitiam, quam nullam prætere potuerant ipsi, propter multiplicem impietatem, de qua postea, infames, sed gratis ex mera bonitate & misericordia propter veritatem promissionum divinarum, quæ factæ fuerant patribus. *Qua de re in disput. 2.*

LV.

Melle & lacte fluere dicitur, hoc est, abundare omnibus ad mortalem vitam necessarijs. Indicatur, dominum peculiari providentiæ suæ dispensatione, aut has aut illas pro lubitu terras reddere metallicas, fertiles, maritimas, quandoque iisdem maledictionem & penuriam immittere, ut ubi prius melle & lacte, auro & argento, bona coctione cerevisiæ, salis, &c. omnia fluebant, tandem omnia omnibus iisdem deficient.

LVI.

Mirum autem est Dominum voluisse tot beneficijs cumulare Israëlitas, tot modis ipsum ad iræ furorem provocantes. *Capite nono recensentur quædam saltem delicta, quibus & Ichovæ iram & terræ amissionem promeriti fuerant.*

Traditio terre promissæ gratuita est typus gratiæ justificationis & salvationis hominum.

Quilibet timeat, quod possit ruere suum Ilium, sue civitatis felicitatem.

rant. *Etsi verò cap. 10. dicuntur tentasse Iehovam per decem vices, & inde in Iudaicis decadibus selectis, per Lepusculum decem peccata Iudeorum numerantur; tamen consentaneum est, longè sæpiùs, imò vel quotidie id factum, ideoque numerum certum pro incerto positum fuisse.*

LVI

Quamquam animosi exierant sub tam valde excelsa manu evocati Israëlitarum: statim tamen Ægyptijs, qui insequerantur conspectis toti mutantur, immemores auxilij divini toties præstiti, tamque sanctè promissi ulterioris, uude diabolica est illa subsannatio, quasi verò in Ægypto non essent sepulcra *Exod. 14. 11. 12.*

LVII

Etsi autem scissi maris rubri spectaculo ad summam pietatem proficere debuisset populus Iudaicus, tamen mox *Exo. 15. postquam triduo saltem solitudines pervagatus in Mara sitis tentationem patitur, non Dominum orat, sed Moysen murmure tumultuoso exagitat.*

LVIII

Discamus autem, quando DEUS cunctatur, quod ad preces nos tunc extimulet: *Ecce autem, ut à nobis, ita ab ipsis pro precibus, murmura capiebat.*

LIX

Post mensem ab egressu obliti omnium miraculorum allegant causam educationis illam, quasi Moyses & Aaron omnes se pariter occisos vellent, quo nihil crudeliùs nihilq; indigniùs fieri potuit.

LX

Mox *Exod. 16, 20.* mandatum de Manna usq; ad mane non reservanda, implere nequaquam student, quid facerent in gravioribus? Audierant etiam die Sabbathi nullam apparituram Mannam, ipsi quasi casu res ageretur inscio & invito Deo, egressi tamen quærunt.

C

Paulò

Quinties Iudæi in deserto peccaverint in Deum.

Primum magnū peccatum in deserto.

Alterum magnū peccatum in deserto.

Sapè morosus videtur Deus, id quod ad eruditionem non nostrā pernitentiæ spectat.

Terrium magnū peccatum in deserto.

Quartum peccatum in deserto.

Quintum peccatum
in deserto.

Sextum peccatum
in deserto.

Quomodo tanta
massa aurea in
cineres fuerit re-
ducta, Physici
disputant.

Aliud peccatum
in deserto. Sic
singuli homines
sexere poterant
catalogum longum
suorum peccato-

LXII.

Paulò post aquarum penuria incidente in Raphidim in-
gratissimi non simpliciter murmurant, & beneficium eductio-
nis blasphemè, furioseque extenuant: Sed seditiosè ca-
lumniantur denuò, quod nihil de itinere, de viâ, de potu
præmeditatus Moles temerè eduxerit eos ex Ægypto, quos
nunc sua præsumptione miserè perderet.

LXIII.

Omni verò superat stuporem, quòd populus interim,
cùm ipsius negocium apud DEUM agit Moles, Deos alios
sibi postulat fieri stupendissima insania, cui more ethnico sa-
crificant; mactando hostias, comburendo partem super, a-
ram, servando quædam ad esum, instruendo solemnes epu-
las, vacando commestationi, post quam sequitur lusus, tri-
pudium, carmina petulantia omnis generis impurè & sine
verecundia *Exod. 32.*

LXIV.

Ecce qui nuper DEI buccinam, ardentem subsilien-
temque montem viderant *Exod. 19. Psal. 114.* qui dixerant se
cuncta facturos, quæ præciperet Deus per Mosem, hi levem
cunctationem servi Dei impatienter ferunt, non ex impru-
dentia; sed ex impudentissima & detestanda perfidia novum
sibi cultum ethnicum asciscunt.

LXV.

Benè autem idolum impotens in cineres redigitur, in
aquam spatgitur, ab Israëlitis bibitur per meatus excremen-
titios iterum egeritur. Quopacto olim omnes ethnici suos
vanos Deos probare potuissent. *Baruch. 6. 1.*

LXVI.

Nondum prævaricationum petulantissimarum finis adest,
quin postea *Num. 11.* nausea mannæ afficiuntur. His multi
consimiles sunt, qui seu ex pessima consuetudine, seu ex im-
prudencia

prudencia cibos, potus, tauros, boves, agnos, pisces, canes,
Gottis herrygich &c. vocant.

LXVII.

Ex his, & alijs peccatis, quæ omittimus remissis & ex novis
gratijs collatis, *concludit Moses*, teneri summo jure populum
Iudaicum ad obedientiam præceptis Dei præstandam. Idque
ut facere velint accuratius inter alia præcipit, ut ponant ver-
ba Dei in cordibus & animis suis, & suspendant ea pro signo
in manibus, & inter oculos suos frontalia collocent, scribant
ea super postes & januas domus.

LXVIII.

*Hieronym. in cap. 23. Matth. & Lyra super Deut. 6. re-
fert Iudeos, posteriores nimirum, hæc nimis literaliter exposuif-
se, ut in schedis scripta ligarentur in brachio super frontem, &
ponerentur in limine superiore ostij domus. Vera autem & ge-
nuina intentio Legislatoris fuit & est, quod nullo modo de-
beant oblivioni tradi præcepta. Sicut homo manui, ostio, in-
scribit, cujus in primis meminisse cupit.*

LXIX.

*Non ineptè autem quaritur, cur Israëlita specialiter sibi-
met præsentem Deum cernentes, & præcepta vivendi ab ipso
exaudientes tam furiosè in verum Deum deliquerint?*

LXX.

Sed vide an non apud subditos nimia familiaritas prin-
cipis, tremendam alioquin auctoritatem, non nihil extenu-
et, adeò, ut minus curent eum, qui singulis momentis fa-
miliariter colloquentem combibentemque parvi facere con-
suecunt, *Alij verò rarò visum & comparentem attoniti ob-
stupefcant.*

LXXI.

Sic igitur nimia, quotidiana, & specialis præsentia
C 2 DEI

*rum, interim
dum Deus mul-
ta beneficia ordi-
ne ipsis contulit*

*Quomodo scri-
bantur verba
Dei in postibus.*

*Questio cur Isra-
elita coram spe-
cialiter præsentem
Deo tam proter-
vè, graviter &
toties peccarint.*

Cur DEVS non
sepius colloqua-
tur cum homini-
bus, etiam ho-
die.

DEI in deserto Iudæos audaciores & ferociores reddidit. Ac si ad libitum cuiusque hodie quoque specialiter DEUS in signis compareret, verba loqueretur, & præciperet, itidem in contemptum ejus majestas nimium abitura esset.

LXXII.

Post Babylonicæ captivitatis initium jam modò re ipsa factum, quidam mittunt Ieremiam ad Iehovam, & sub juramento promittunt se parituros quicquid responsurus fuerit ipsi Iehova. Ecce verò cum Iehova per Ieremiam responderet contraria votis ipsorum, ne scilicet abeant petita auxilia ab Ægyptijs, resiliunt & totos sese contrario sopponunt DEO & Prophetis dicendo: Mendacium loqueris, ideoque in Ægyptum abeunt. quin & invitum Prophetam eò secum abripiunt. *Ierem. 42. & 43.* ubi etiam tandem perijsse scribitur ab aliquibus.

LXXIII.

Idem fiet hodie Deo specialibus signis unicuique locuturo: siquidem jam modò idem fit verbo ipsius annunciatum quotidie inter homines.

LXXIV.

In his igitur, quæ hucusque delineavimus, imprimis spectandi veniunt articuli de peccato, de cruce, deque imensitate bonitatis divinæ.

LXXV.

Quemadmodum principium peccati *Adæ* nequaquam est ex aliqua absoluta voluntate & beneplacito arcano DEI ipsius, sed ex tentatione *Satanae*, qua *Evam* à verbo seduxit, in quam etiam tentationem primi parentes consenserunt, sicque Deum dereliquerunt *Gen. 3. 6.* hoc est, anima & corpore plus Diabolo, quam DEO crediderunt ac obediverunt, sicque se cum omnibus suis posteris corruerunt, seu peccato originali contaminarunt, & morti subjecerunt *Rom. 5. 12. & seqq. Ioh. 3. 6. Psal. 51. 7. Ephes. 2. 3.*

Ita

Primum homi-
nis peccatum à
Diabolo.

LXXVI.

Ita Ephes. 2. 1. 2 Apostolus causas peccatorum actualium internorum & externorum his verbis describit : in quibus (delictis & peccatis) aliquando ambulastis secundum seculum mundi, secundum principem potestatis aëris hujus spiritus, qui operatur in filiis diffidentiae, in quibus & nos omnes aliquando conversati, in desiderijs carnis nostrae, facientes voluntatem carnis & cogitationum.

LXXVII.

Quomodo verò post Diaboli præcedentem suggestionem actualia peccata in hominibus exoriantur, & succrescât Jacob. 1. 14. 15. docetur : Unusquisq; tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus : Deinde concupiscentia cum conceperit parit peccatum; peccatum verò cum consummatum fuerit, generat mortem.

Actualia peccata à Diabolo interdum ut à causa remota, interdum ut à causa propinquâ.

LXXVIII.

Sicigitur post afflatum demonis primum in corde exoritur cogitatio in hanc aut illam concupiscentiam, mox cor condelectatur & assentitur, tandemque exequendi occasionem quærit.

LXXIX.

Etsi autem cor quandoque præsertim in renatis potest & solet resistere, quia post primitias Spiritus Sancti acceptas, Spiritu facta carnis mortificant Rom. 8. 13. & carnem crucifigunt cum vitijs & concupiscentijs Gal. 5. 24: Ne opere desideria carnis compleant & faciant: tamen etiam ipsa cogitatio & inclinatio, sive in pœnitentibus sive in impœnitentibus, in concupiscendam rem verè peccatum est. Matth. 15. 19. Ex corde exeunt cogitationes male, & quidem mortale, idque adversus Pontificios, qui tantum septem recensent mortalia peccata, Superbiam, Avaritiam, Luxuriam, Invidiam, Iram, Gulam, Ebrietatem mediam, sed malè

Ipsa parva cogitatio & inclinatio per se est peccatum mortale.



omissis omnium præceptorum tot internis & externis alijs delictis.

LXXX.

Ipsis cogitationum pravaram principijs, præsertim in rebus externis aliquo quidem modo, licet difficilimè propter innatam corruptionem & tyrannidem Diaboli resistere & obstare potest homo, etiam non renatus.

LXXXI.

Sunt autem quædam peccata ad mortem vel regnantia, quædam infirmitates in fidelibus reliquæ: quibus tamen ipsi seriò resistere & repugnare debent: *Rom. 6. 7. 8. & seqq. 1. Ioh. 5. 16. 17.*

LXXXII.

Differunt autem hæc duo peccata non in ipso peccato, sed tantum in persona. *Persona alia* habet veram fidem, & simul pœnitentiam, cui displicet illa depravatio: *Alia vero* non habet veram fidem, quia nullam habet pœnitentiam, qua à depravatione, seriò abhorreret, unde quærit occasiones peccandi, inque sceleribus perseverat.

LXXXIII.

Etiam fideles seu verè creduli in corde sentiunt incredulitatis, securitatis, impatientiæ, pravaram cogitationum perversitatem, *1. Iohan. 1. 8. Si dixerimus, quod peccatum non habeamus, ipsi nos seducimus, & veritas non est in nobis: Cui tamen resistunt, ideoq; precibus remissionem propter Christum impetrant. Psal. 32. 6.*

LXXXIV.

Contra increduli seu hypocritæ membra sua scienter exhibent peccato & concupiscentijs illius, ad obediendum illis, concupiscentias opere perficiunt, voluntati carnis amplius non repugnant, sed perficiendi illam quærunt occasiones. Ideò hæc dicuntur regnantia & dominantia. *Rom. 6. 12. 14.*

Illi er-

Peccati originalis virulentia.

Duplicia peccata actualia.

Etiam sancti sunt peccatores.

Venialia aut que non damnant, non quod levia, sed quod pœnitentia vera statim resistat, & venia eis consequatur.

LXXXV.

Illi ergo, in quibus peccatum dominatur, veram fidem, & Spiritum Sanctum non habent, nec fideles, quando in scelera manifesta ruunt, ut David in homicidium & adulterium, fidem & Spiritum Sanctum tunc retinent, quicquid contra, sed frustra disputent Calviniani. Spiritus enim Sanctus peccato dominium non permittit, Omnis qui natus est ex DEO, peccatum non facit, quoniam semen DEI est in eo, 1. Iohan. 3. 9.

LXXXVI.

Qui etiam peccatorum suorum, sive *amissos*, sive *alicujus alterius mortifera suavitate sciens volens contumaciter, pertinaciter usque ad finem vitæ sine ulla pœnitentia perseverat, is in Spiritum Sanctum peccare, & ad mortem peccare, & irremissibile peccatum committere & commississe dicitur. Matth. 12. 31. & seqq. 1. Iohan. 5. 16: *Vitus Theodorus in Summarijs supra Iohannem.**

Peccatum ad mortem.

LXXXVII.

Quæ cum ita sint, toties dæmonum suggestionibus & afflatibus dicto audientes Israëlitas, inque tam atrocia delicta scienter, volenter, contumaciterque toties relapsos fuisse, detestandum & execrandum venit.

Iudei sepius contra conscientiam peccarunt in deserto.

LXXXVIII.

Unde adhuc magis confirmatur illud, quod non propter sanctitatem aut justiciam aliquam suam, sed ex mera misericordia divina, ut gratiam Dei, & vitam æternam, ita etiam cujus ea typus erat terram benedictam, consequuti fuerint.

LXXXIX.

Interim tamen perulantem pervicaciam ipsorum corporalibus pœnis gravissimisq; *lupispians* flagellavit Dominus, non quod calamitates illæ essent satisfactio pro peccatis, siquidem

siquidem CHRISTUS omnium nostrorum peccata tulit, & pro illis satisfecit, *Esa. 53.* sed ut essent exercitia fidei & pietatis, pœnitentiæ, utque discerent cautiùs mercari in posterum.

XC.

De Calamitatibus.

Et quod articulum *de cruce* attinet, etiam ex his patet, quod non rectè docuerint *Ethnici*, mortem & alias calamitates oriri à motu materiæ æterno motu ruentis ad alias formas, & quod malè sentiant hodierni *Photiniani*, mortem hominis esse naturalem ejus corruptionem, sicut pomum aut aliud animal naturaliter moritur, adeoque futurum fuisse in statu innocentia.

XC I.

Efficiens calamitatum & mortis.

Causa, nimirum efficiens calamitatum & mortis hominis, est DEUS juxta illud: *Non est malum in civitate, quod non fecit Dominus, Amos. 3.* ubi de pœnis corporalibus malum intelligi debere, totius capituli tertij Amosi contextus antecedens & consequens, clarè demonstrat.

XC II.

INTERFICERE dicitur Deus, cum moritur homo.

Simili modo in quavis morte cujusvis hominis certò fieri credamus, quod *1. Reg. 17. 10.* in mortuo filio Sareptanæ mulieris pronunciat Elias: *ô Jehova DEVS, etiam nunc viduam, apud quam habito, afflixisti me, ut INTERFICERES filium ejus.* Nimirum quisquis moritur, ille à DEO interficitur.

XC III.

Et ut interfector parcit, cui vult, quamdiu, & ubi vult, cædit, quos, quando & ubi vult: ita liberrima sese exerit providentia divina in tolerandis vel interficiendis hominibus, modò per gladium, modò per clavam, modò per bombardam: hoc est, nunc per febrim, nunc per tabem, nunc per alios morbos: interdum manu sua, interdum manu ministrorum

strorum, hoc est, modò sine medio, modò per operam Angelorum, *Psal. 91. 7.*

XCIV.

Et *Deut. 10. 6.* ex morte Aaronis æstimanda proponitur eadem doctrina. Nisi enim accessisset comminatio Dei, *Num. 20.* & prædictio divina de morte ipsius, utique is fato suo propter senium functus fuisse perhiberetur. Quapropter hæc una ex præcipuis est, divinæ gubernationis partibus, per totum terrarum orbem sese ita exerentibus, ut cum multi mallent citiùs, multi tardiùs mori, omnium & singulorum vitas pro sua arcana virtute definiat, & circumscribat DEUS, nulliusque hominis mortem exoptantis, & cum desiderio expectantis, ipsum capiat oblivio, quod sæpenumerò senes decrepitißimi, ægotißimi, calamitosißimi ex impatientia æstimare possent.

Cur Deus minitatus fuerit & prædixerit Aaroni mortem suam.

XCV.

Ut *Ezech. 9.* ab Angelo: ita quovis anno, ad ipsius mandatum quidam signantur, qui reliquis cadentibus, illæsi vivique permaneant.

XCVI.

Multò minùs igitur astrorum influentijs, aut fortunæ, & casui, aut abscondito alicui fato Stoico calamitates & mortem, ut & rerum istarum circumstantias & horas, acceptas referendas esse, meminerimus.

XCVII.

Causa vera *πρόκαταρτυμένη* calamitatis & mortis sunt peccata, *Psal. 90. 8: Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, & ignorantias nostras in illuminatione vultus tui: Huc pertinet totum caput 28. Deut: & Threni Ieremia. Item Stipendiù peccati mors est, inquit Apostolus Rom. 6. 23.*

Calamitatum & mortis causa promerens.

XCIIIX.

Quòd autem Ecclesia quandoque citiùs punitur, & graviùs

D

viùs

Cur pij citius &
gravius a DEO
percutiantur.

Legitimè natum
pater verbis &
verberibus pu-
blicè & priva-
tim corripit: spu-
rium aspiciendo non
sustinet, multò
minus verbis, aut
operibus coerces.

De immensitate
misericordiae
divinae.

Photiniani hodi-
erni non omnibus
peccatoribus ve-
niam, & peccato-
rum remissionem
certo volunt pol-
liceri.

Glirius, Anti-
trinitarius.

vius affligitur, causa redditur 1. Pet. 4. 17. Iudicium à domo Domini incipit: quia scivit voluntatem DOMINI, & non fecit Luc. 1. 47. Item: 2. Maccab. 6. 34: Nam quemadmodum in alijs gentibus lenitate expectat DOMINVS, ut tunc denique, quum ad cumulum peccatorum pervenerint, in eos animadvertat; Ita de nobis statuit, ut scilicet peccatis nostris ad summum usque cumulatis, pœnas tandem à nobis repetat. Et Hebr. 12. 8. Si estis absque castigatione, spurij estis, & non filij.

XCIX.

DEUS & cum blanditur, pater est, & cum cædit, pater est, qui ideò blanditur, ne deficiamus, & ideò cædit, ne pereamus, ut loquitur Augustinus Psal. 98.

C.

Causa finalis calamitatis est in hoc Psalmo 119. 7. bonum mihi Domine, quia humiliasti me, ut discerem justificationes tuas, Jerem. 31. 18. Castigasti me & eruditus sum.

CI.

Sicut igitur pudendum est, quòd Ecclesia Iudaica in deserto toties gravissimè labitur: ita vicissim admiranda DEI lenitas, patientia & misericordia toties eandem in gratiam recipiens, diligenter expendenda est.

CII.

Id quod adversus hodiernam Antitrinitariorum doctrinam observatu est per necessarium, qua veniam sæpius lapsis denegant, aut difficilimè, dubitantissimeque concedere vellevidentur.

CIII.

Ita enim habet Glirius de Iustificatione: Quanquam interdum veniam offerat: tamen id non facit semper; sed contemptum bonitatis suæ horribiliter ulciscitur, adeò, ut cum lacrymis quaesita pœnitentia nusquam reperiatur. Hebr. 12. 17. nec diu ac multum pulsantibus fatuis virginibus aperitur, Matth. 25. 12. Hæc ille.

Ita Som-

CIV.

Ita Sommerus de Iustificatione : *Exempla remissorum interdum peccatorum non constituunt regulam, quod DEVS semper debeat, aut velit remittere: Item: Omnes homines fatentur, se peccatores esse, Verum est de ignorantibus & levioribus erratis: pro quibus orant: Remitte nobis debita nostra., Sed cum novissima pejora sunt facta prioribus, nullam lego promissionem: Sed illud, cum multiplicaveritis clamorem vestrum non exaudiam, quia manus vestrae plene sunt sanguine, excepto tempore gratiae, quod QVOTIDIANVM non est. Hac ille.*

Johannes Sommerus Pirnensis Antitrinitarius

CV.

Iterum Glirius: *Est igitur Iohannis sententia talis, 1. Iohan. 1. 8, Si dixerimus (nos qui mortui in peccatis per CHRISTVM vivificati sumus, tum ex Iudaeis, tum ex gentibus,) quod peccatum non habeamus, aut quod non peccavimus, (haecenus scilicet, nam loquitur de praeterito) ipsi nos seducimus, & non est in nobis veritas. Si autem confiteamur (nunc) peccata nostra, fidelis & justus est DEVS, ut remittat nobis: 1. Iohan. 2. 1. haec scribo vobis filioli, ut non peccetis (posthac) & si quis peccavit (haecenus) aut peccatum super se habuerit, habemus (nunc) Advocatum apud patrem, &c. Hac ibi.*

Glirius.

CVI.

Idem ibidem è vestigio: *Ita tota sententia aliud non vult, quam praeterita peccata esse ipsis condonata per CHRISTI mortem, in posterum requiri, ut non peccent. Hac ibi idem.*

CVII.

Sed de hac re fusius differendi occasio monstrabitur in ruminacione capitis 30 Deuteronomij, & apparet ex his enuclea-



nucleatis capitibus, DEUM nunquam defatigatum fuisse remittendo: sicut tamen etiam in puniendo atrocem aliquoties sese exhibuit.

CIX.

De regula quod quærunt; En habemus regulam: Quoties remittam fratri meo, num septies? &c. *Matth. 18.* Et: Quorumcunque remiseritis in terra, &c. *Ioh. 20. 23.*

CIX.

Quod autem volunt, remitti tantummodò leves prævaricationes, sed peccata magna contra conscientiam non itidem; illud manifestè proturbat istud Pauli 2. *Timoth. 3. 16.* *Tota Scriptura divinitus est inspirata & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in justitia.* Sicut ergo in Veteri Testamento gravia delicta fuerunt à DEO remissa; ita nos vigore hujus dicti credimus, etiam hodiè gravia delicta esse remittenda hominibus.

CX.

Deinde si tantum leviorum, non itidem majorum, delictorum veniam à DEO sperare, petere & expectare licitum fuerit, iterum turbatur Doctrina Veteris & Novi Testamenti illa, ex qua constat, post remissam magnam culpam non semper remitti pœnam temporalem, sed illa remissa, hanc sæpenumerò infligi acerrimam, ut infra docebitur exemplo *Genes. 3. Num. 12. 13. 14. 15. & 14. 11. 12. 20. & seqq. & 20. 11. 12. Deuter. 3. 23. 2. Samuel. 12. & 16. Luthe. in marginal. super Ioh. 2. 14.*

CXI.

Denique adversarij ipsi tandem vel invitj hæc largiuntur his verbis: *Si tamen DEVS velit, non est impossibile, id quod*

Photiniani docent tantum levia, non etiam gravia peccata remitti.

Deus peccantibus semper certò remittit culpam, non semper pœnam temporalem.

quod ante à exemplis & promissionibus quibusdam ostensum est.
Hæc Glorius iterum.

CXII.

Fatemur nos quoque eos, qui primam, secundam, tertiam, quartam, & ita deinceps peccandi, & graviter peccandi, eademque peccata repetendi, licentiam rapiunt, consuetudinem resumunt, audaciam usurpant, petulantiam retinent, suam mentem ipsos indurare, eique callum obducere, sicque in viam reproborum concedere, non ex fatali aliquo impulsu: sed ex pervicaci malitiâ, adeoque in periculoso statu esse, 2. Pet. 2. 20. Hebr. 6. 7. & 10. 26.

CXIII.

Interim tamen nemini denegamus omnem veniam, si modo vel in ultimo gemitu indolescat, idque propter magnitudinem miserationum divinarum, & propter bonitatem, meritumque Servatoris, qui venit, ut quærat, quod amissum est. Luc. 19. 10. Dent autem singuli operam, ne gratia DEI abutantur, quia in quos revertitur semel excussus Satanas, eos multis comitatus socijs ita occupat, ut difficilimè expelli queat, præsertim circa agonem mortis, Luc. 11. 26.

CXIV.

Cui periculo accedit sæpè inopinata mors, subita apoplexia, collapsio in ignes, aquas, & quæ sunt alia genera.

CXV.

Si nihil horum omnium fieret; tamen scandalum datum pœnæ gravissimæ consequuntur. Matth. 18. 7. 2. Samuel. 12. 1. Cor. 5. quod est, quando quis dicto vel facto malo, alios offendit, ut impingant & labantur & ipsi.

Scandalum datum.

D 3

Caveant



Scandalum ac-
ceptum.

CXVI.

Caveant tamen singuli, ne scandalum accipiant, hoc est, ne aliorum doctrina, factis, dictis seducantur: Hoc enim acceptum scandalum vocatur.

CXVII.

De scandalo non accipiendo concionatur CHRISTUS Matth. 18. *Si offenderit, te oculus tuus, eruas eum, si pes, vel manus, abscindas.*

CXIIIX.

Virumq; datum
& acceptum
scandalum gra-
vissimè peccatur.

Et quòd ex utroque tam dato quàm accepto scandalo pœna sequatur corporalis & æterna, ibidem dicitur, *Va homini, per quem scandalum venit, & bonum est tibi ad vitam ingredi claudum, quàm duos pedes habentem, conjici in ignem æternum.*

F I N I S.



94 A 7382

ULB Halle

3

002 183 692





Sb.

VD 17

21,7.99 Bd.







ΣΤΝ ΘΕΩ

Ex

DEUTERONOMIO

Disputatio V:

- I. De præcipuis beneficijs divinitus in exitu ex Ægypto collatis in Israelitas.
- II. De maximis peccatis, quibus DEUM educentem Israelitæ irritarunt.

Ad cuius Themata

In Illustri Academia Vitebergensi

PRÆSIDE

VVOLFANGO FRANZIO

S.S.Theol.D. & Prof. publ. Præposito itidem templi arcis

Respondebit

M. IOANNES RINGENHAIN
Torgensis.

Die 6. Februarij in templo arcis Electoralis horis pomerid.

WITTEBERGÆ

Typis Cratonianis, per Ioh. Gorman.

M. DC. VIII.

